Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICO-CHYMICA,

Quâ

SAL TARTARI VOLATILE COAGULATUM,

Indultu Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ, Examini Eruditorum publico exponent

PRÆSES

JOHANNES THILE,

Doct. ac Prof. Medic. Publ. Extr.

Et

RESPONDENS

JOH: GEORGIUS Rebentroſt/

Drebach-Miſnicus,

IN AUDITORIO MEDICORUM

Ad diem Decembr.

Annô M. DC. LXXXI.

WITTENBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

Q. D. B. V.

PRÆFATIO.

Poſtqvam ſatis diu, ignoratô nucleô, Tartari corticem vexaſſent infelices manus, ſangvineq; intactô ſudorem invito expresſiſſent vegetabili,

Nunc exurentes latices, Bacchiq; liqvorem,

Nunc ſolidas lymphas

miſcentes; Inventa deniq; clavis labore multô ac ſtudiô ſagaci peritorum eſt, qvæ terreſtris Solis theſauros aperiret, poneretq; ex obſcuro in apricum.

Omnis enim, qvi corporeô ſtat corpore clauſus
Spiritus, & membris terrenis conſociatur,
Eſt miſer haud dubiè, donec ſolvatur ab illâ
Compede.
Unde manum cupit artificis, qvi vincula ſolvat.

Digna itaq; vilis adſpectu abjectaq; materia fuit judicata, qvæ multorum naturæ Sacerdotum manus ingeniaq; exerceret, ſive ut menſtruum in ⊖e illo volatili, Univerſalis vicarium, præcone *Helmont. cap. 15. de Febrib.* §. 25. obtinerent; ſive ut ſummô gravisſimorum morborum ſolatiô potirentur. Nos, dum illam curioſitatem Adeptorum filiis legamus, (exploratæ utilitatis remedia, particularia qvantumvis, ancipitibus arcanis conſiliô anteponentes)

idem nobis argumentum, ſi non gratiâ curioſitatis, utilitate tamen commendabile, examinandum propoſuimus, verbum fortè opportunum adſperſuri, dum, præter notos aliqvot, modum ſingularem ⊖🜿ri per fermentationem qvaſi ſpontaneam concinnandi, factumq; blandô & homogeneô coagulò combinandi, edocebimus, cum virtutum medicarum brevi ſed ſuffecturâ appendice. Cætera hujus coaguli experimenta ad Metallurgiam ſpectantia, qvanqvàm non ignota omninò mihi, de induſtriâ nunc prætereo, aptiori forſan loco deſtinata.

Sint ſatis hæc, ne qvà videar contendere ſummis
Ipſe Viris,
Nec mihi certandi veniat tàm vana cupido

tenuitatis optimè conſcio. Faveat Altisſimus conatibus noſtris, perq; commoda proximi in Immortalis ſui Nominis Gloriam convertat!

§. I.

Tartari nomen evolvit.

ADeò prolixæ ſignificationis vocabulum 🜿ri eſt, ut ſi vel maximè *Poëſin* excipias, medicô ſenſu ſexcenta ferè rerum nomina exprimat, qvæ tranſcribere huc nihil attinet. Nobis circa concretū ⊖inum, ſive Salem vini eſſentialem occupatis ſubjecti Naturam compendiô explicaſſe ſufficit. Paulô indigniùs tamen illum *ipſum Terrei corporis* titulô, ab *Angelo Sala, in Tartarolog. pag. m. 124. Lapidis ac Calculi, à Paracelsô, Interprete Wilhelmô Jonſohniô pag. m. 242.* Vernaculâ item Weinſteins/) niſi Metaphoricô ſenſu *more Helmontianô Tract. Invent. 🜿ri temer. §. 12.) Cadaveris, à Tacheniô, Hippocr. Chym. pag. m. 137. Calcis, à Becherô in Suppl. Phyſ. ſubterr. p. m. 774. n. 171. Ca-*

pit

pitis mortui, Excrementi &c. ab aliis inſigniri, patet. Eqvidem ipſe per Ignem Philoſophus neutrum illud Vinum inter atq; fæces *in Hiſtor. Tartar. Vin.* §. 18. ponit, mox tamen ſententiam noſtram Salis aut ſucci ⊖ini Epitheto, ſeqventibus paragraphis interpretatur.

§. II.

Eſſentialis ⊖is ingenium explanat.

SAlem Eſſentialem ſtatuo tertium, *ex Acido & Alcali conflatum, omnes mixti Virtutes complectentem, mediaq; inter volatilitatem & fixitatem naturæ.* Singulas has proprietates ♀ro noſtro convenire, præter ſenſuum præſens teſtimonium, Anatomia Chymica, fermentationis ac ignis ape peragenda confirmabit. *Angelus Sala* putatur qvidem primus horum Salium Commendator; Sed verò in antiqvis Scriptorum monumentis, non obſcura hujus veſtigia obſervantur. Sic *Galenus lib. de Simpl. Facult.* 8. *p. m.* 232. ex acerbis lignis factos cineres non parum adſtringere obſervavit. (qvod *Dioſcor. Lib.* 1. *cap.* 186. de omnibus lixivis pronunciare auſus eſt, deceptus fortè acrimonia ſaporis, qvam non ſatis accuratè adſtringentem definivit; Qvi idcircò à *Galeno* etiam *loc. cit.* notatur) Hic cineres non extremè uſtos inſinuari, facilè conſtat, qvia (1.) adſtringendi poteſtas, (2) ex acerbo ſubjecto oriunda, remanſit; notabili argumentô virium ſimplicis ſuperſtitum. Novi enim nihil eſt ſucci Eſſentialis portionem cum Lixi-ô etiam Sale, nondum extremam torturam △ is expertô, miſceri. Sic in cineribus Abſinthii, menthæ, mediocriter uſtis, plus ſimplici vice non obſcuras aromatici amaroris notas lingvâ, cum aliis, ne fortè deciperer, percepi. Omnium evidentisſimè rem declarat *Plinius lib.* 23. *Hiſt. Nat. in Prooem.* Ubi Cinerem ſarmentorum ad

Lie-

Lienis vitia acetô conſperſum commendat, & ſimile qviddam *eôdem in Librô cap. 5. de Palma* Cinere cum Vino miſcendo refert. Hi poſteriores Sales, qvanqvàm non ſpontè concreti, ſed ♀rum qvaſi regeneratum referant, verè tamen eſſentialium naturam æmulantur. Et qvis dubitet de inviolatâ horum ⊖ium Virginitate? Cùm ipſa Alcalia fixa Simplicium ſuorum dotibus penitus exhauſta non ſint, ſed ſeminali inſuper poteſtate, emineant; qvale qvid *Borrichius ex Experimento Menſ. le Febure*, aliiq; adnotarunt; Ut de Ruſuſcitatione nunc & Volatiliſatione fixorum nihil adjiciam. Plura qvi deſiderat adeat *Beguinum lib, 2. cap. 17. Laurenberg. Not. in Aphoriſm: Angel. Sal. Animadv. 9. qv. 9. Adrianum Mynſicht. in Armam. Medic. Chym. p. m. 205.* Hic Autor tria ⊖ium Eſſentialium grana Scrupulum vulgarium efficaciâ ſuperare affirmat. Item *Unzerum, Müllerum à Nobiliſſ. Wedel. Cap. 1. Experim. Chymic. nov.* citatos; Qvi uti nimii ſunt in Eſſentialium Definitione, dum volatilia inſcribunt; ita defectu peccat *Billichius* ea planè abjiciens.

§. III.

Differentias Eſſentialium attingit

IN Differentiis ⊖ium eſſentialium exponendis, qvà alia acria, alia Ⓓroſa, alia dulcia, acida alia deprehenduntur, haud morabor; cùm non de Salium Eſſentialium Natura in genere, ex compoſito, nunc agere animô ſedeat. Sufficit Saporum diverſitates Simplicium qvalitates exſcripſiſſe.

§ IV.

Tartari Principia oſtendit.

JAm ♀ri ipſius indolem indagaſſe ac in delectu hujus curam adhibuis-

hibuiſſe expediet, anteqvàm ad ipſum volatiliſandi ac coagulandi negotium accedamus. Aſſerui *in § 2.* ♀rum ⊖ Eſſentiale tertiū, qvia ex utroq; Acidô & Alcali (ſeu, ſi mavis, Urinoſô volatili) in hoc mutatum. Acor gratus ſenſibus obvius, & fermentandi experimentôcum qvôvis Alcali inſtituendô, patet; qvod & cum ipsô ♀ri ⊶u, vulgarî modô deſtillatô, ſuccedit, ut de Aceto, ♀ri Conſangvineô, nihil dicam. Proprietatem Urinoſam ⊖ ♀ri volatile, & Spiritus eâdem virtute prægnans, vel noſtrô, vel aliô modô productus, acidorum fermentorum egregiꝰ domitor, apertê teſtatur, Alcalinô fixô ex Capite mortuô ſpontè qvaſi prodeunte. Hæc duo Elementa poſtrema, ſi arte combinentur, & acetum Vini deſtillatum Sali proprio fixo affundatur, eundem ♀rum exhibebunt, qvanqvàm ad deliqvium, ut rectè *Tachenius Hipp. Chym. cap. 10. p. 56.* notavit, proniorem. Cujus rei rationem hanc eſſe puto, qvod utraq; hæc, Acidum & Alcali, Acetum qvidem deſtillatione, Alcali ſolutione & coagulatione, terreſtribus particulis ſint orbata; Unde accedente qvôvis humidô facilè ſoluta liqveſcunt, remotis ſcilicet terreæ molis impedimentis, qvæ ♀ro aliàs conſtantiam largiebantur. Qvoad virtutes, eædem in prole præſentes, qvæ in Parente notabiles ſunt. Excellebat autem vinum ⊖e volatili ſubacidô ♀reô, ac Salinô ſpirituoſô, qvæ duo mirâ mixturâ combinata in homogeneum tertium transmutata ſunt, ac ex demonſtratâ ſupra analysî facilè repeti poſſunt. Qvæ mutatio tantum abeſt ut virtute inferius Vinô productum ſiſtat, ut potius excellentiori gradu auctum exhibeat; qvâ de re infra de Utilitate prolixiùs dicetur. Nunc Volatilitatis & Fixitatis ſtatum medium oſtendam. Qvoad acidam enim partem notum eſt, Tartarum etiam ſubſtantiâ ſumptum Hypochandriacis & debile fermentum habentibus prodeſſe; Illis qvidem, qvatenus acidum fixum ſuâ volatilitate corrigit, & vitalèm fermentationem reſtituit: His verò, qvatenus planè ſopitum fermentum reſuſcitat. De aceto non opus eſt monere prolixiùs, utpote qvod inter Alexipharmaca excitativa & reſtaurativa generoſiora non eſt poſtremum. Qvàm facilè autem ♀rum in acetum mutetur, & ſpontè qvaſi volatilita-

tem

tem affectet, vel vulgo notum. Urinoſi ⊖is 🜿rei volatilitas in ipſo ⊖e & Spiritu abundat. Interim fixitatis qvâdam ſpecie mutuos inter utriusq; amplexus ludit.

§. V.

Tartari Species recenſet.

Cæterùm vini 🜿rus ſextuplex numeratur: Alius enim 🜿rus vini ſubtilior, tutor ac cuſtos liqvori præſidet: Alius calciformis, qvi in poris vini contentus, vel ſenſibiliter ſedimentum in vaſis, qvibus continetur, vel etiam in tabulâ, ſi qvid effundatur, deponit, uti vina ignobiliora, Jenenſia ac noſtratium qvædam, vel inſenſibiliter illum in corpore abſtergit, donec accedente Coagulatore, vel in Calculum renum aut veſicæ, vel in tophos articulares abeat, vel arenosâ ſuâ Subſtantiâ totam lympham inqvinet; qvalem materiam ſudore rejectam non ſemel obſervatam fuiſſe conſtat: Alia 🜿ri ſpecies eſt, qvæ in aceti ſtagmate, ſive reſiduo poſt deſtillationem ſe offert, ejusdem cum Tartaro vulgari conditionis, aliqvando etiam ſat nitidas cryſtallos præcipitans: Alius 🜿rus vinaceorum, agreſtæ & uvarum paſſarum. Alius fæcum vini liqvidiorum poſt muſti fermentationem, & repetitam ex vaſe in vas aliud decantationem, vulgò Weinſtein/obvius: Alius deniq; qvi vaſis lateribus & fundo lapideâ facie adhæret. Poſteriores qvatuor Species, qvanqvàm ſingulæ 🜿ri Spiritum, præviâ præparatione, largiantur, duas tamen poſtremas noſtro ſcopo deſtinamus, & maximè noviſſimam. Cûm enim Vini fæces & Vinacea nec ubiq;, nec omni tempore haberi qveant, aceti verò & uvarum Tartarus deſideratæ copiæ non ſufficiat, noſtrum interim Tartarum ubiq; terrarum vel mechanicorum in uſum proſtet, commodiſſimè illud reliqvis anteponemus.

§.VI.

§. VI.

Tartarum meliorem notat.

BOnitatem Tartari & delectum plerumq; præ rubro, in albicante eôq; cryſtallino magis, qvàm terreſtri qværunt. Cæterùm, an Vini præſtantia, aut ſoli balſamica conditio, ad hujus excellentiam aliqvid conferat, videndum. *Glauberg. Pharmac. Spagyr. Part. III. p. m. 107. & ſeqv.* non abſurdas hujus rei rationes & experimenta de Vino Baccharacenſi, Muſcatellino, Hochheimenſi, petroſoq; affert, ſimul cadaveroſi ſaporis argumenta adnectens. Certiorem fidem faciunt tentamina Chymica *Tachenii Hippocr. Chym, cap. 10. p. m. 56.* expoſita, cujus verba hæc ſunt: *Refert tamen Oleum ex Tartarô crudô per Retortam deſtillatum vini bonitatem.* Et paulò poſt: *Incredibile*, inqvit, *qvod in aceto eluceant non ſolùm vini, ſed etiam regionis qvalitates.* Unde etiam Romæ & Venetiis, diſtinctis ſcilicet locis, forſan etiam diverſis ex elementis, facta experientia diverſum, nempe prius grati odoris, poſterius malè olentis olei dedit effectum. In unicô mihi non ſatisfacit, qvod ſoli acetô concentratam conſervatamq; vini virtutem adſcribat, qvam æqvè tamen in Sale fixô reſediſſe non improbabile eſt.

§. VII.

eis Exiſtentiam & poteſtates demonſtrat.

Salia autem tàm Alcalia fixa, qvàm volatilia urinoſa, etiam mixti ſui poteſtates aliqvas complecti, ratione, experientiâ & Auto-

ritate adſtruere conabor. De generali volatilium Urinoſorum, & fixorum Alcalinorum virtute non qværitur, ſed de ſpeciali proprietate ſimplicium, qvam ſtrenuè tueri illa exiſtimo. Prius autem Exiſtentia eorum adſtrui debet, qvàm agendi modus pateat. Neutrum qvidem ⊖em *Beccherus* in mixtis præexiſtere antumat, *in Phyſ. Subterr. Suppl. 2. §. 7. num. 171. In nulla*, inqviens, *herbâ eſt actuale Sal volatile vel fixum*, *ſed fit primùm per ignem.* Sumit autem in exemplum Tartarum, qvem Calcis & Terræ nomine, neſcio qvâ ratione, huc trahit. Sed hujus opinionis falſitatem ſeqventia evincent. Mitiùs debuiſſet cum *Helmontio* de utroq; pronunciare, dum *Tract. Blas human.* §. 29. 38. 42. *Alcali*, ait, *non eſt productio rei novæ, cùm materialiter inextiterat concreto ante cremationem. Item: Materialiter ergò Sal Alcali præextitit in concreto ante conflagrationem, qvoniam totus Sal formaliter in concreto erat volatilis, & non in forma fixioris Alcali.* Deniq; Alcali volatiliſatur & volatile alcaliſatur, ſalvâ formali proprietate. Id qvod ſeqventibus rationibus probo: (1) Notum eſt, qvod ⊖ia rerum notisſima inſtrumenta, ac potiorum actionum, generationis, augmenti & corruptionis autores exiſtant. (2.) qvod ſponte avolent, nullô ignis adminiculô, ut in odoriferis & lignis putreſcentibus videre eſt. (3) Unum in alterum etiam naturaliter per motum inteſtinum mutari poteſt, Volatile in fixum, & fixum in volatile; Ergo præextitiſſe neceſſariò inferendum. Deniq; vix ullum inveniri credo, tàm obſtructas nares habentem, qvin volatilium præſentiam & differentias, Meliſſæ ſcilicet ſvavitatem, ab Armoraciæ acrimoniâ, aut opii ingratâ proprietate, facilè adore diſtingvere ſciat.

§. VIII.

Virtutes ſpecificas aſſerit.

SEd verò cùm multi ſenſibus edoceri cupiant magis, ad ocularem inſpectionem invito incredulos. Et (1) qvidem non inimi-

mi-

mitabile Boylii tentamen propono; qvâ plures ⊖es ſucceſſivè ▽æ, ad ſpeciem externam homogeneæ, inimiſit, effectuq; deprehendit inebriatum ab uno ⊖e (qvod materia ſuperflua in fundum deſcendens arguebat) liqvorem à pluribus diverſis poſt ſaturari ſe paſſum; non aliâ ratione, qvàm qvod Salinæ particulæ, diverſis figuris inſtructæ, diſtinctis, qvos ſubirent, aqvæ poris deſtinabantur. (2.) *Nobiliſſimus Olaus Borrichius Tract. Herm. p. m. 355. in ſecretô Magni Hetruriæ Principis Laboratoriô*, infinitas propè (verba ipſius ſunt,) lixivorum ex plantis ⊖ium differentias, Cylindros, qvadras, pyramides, rhombos, oculis uſurpaſſe confirmat. (3) Menſtruorum diſtinctos effectus produco, tâm in naturalibus, qvàm artificialibus obvios. Qvotus qvisq; enim ignorat, non eadem omnibus ſolvendis convenientia eſſe? Aliud Soli, aliud ☽næ deberi; In naturalibus verò qvædam certis animantibus in delicias cedere, qvæ homini forent exitioſa. Sic coturnicem Helleborô, gallinas araneis, anates & Ciconias inſectis paſci: hominum alios tribus vel qvatuor granis 🜿ri Emetici ſatis moveri, alios vel ſeptem grana ☿ii vitæ inultè devorare. Cujus rei non ita pridem, teſtibus Optimis Viris, experimentum feci in muliere, qvæ cùm 4. grana dictorum florum ☿alium, citra effectum, ſumſiſſet, interpoſitô per aliqvot dies præcipitantium uſu, 7. vix nauſeâ natâ, abſorpſit; ſolô ſtomachalis fermenti ſingulari ingeniô. (4) Præcipitantium longè diverſos effectus coloresve, à vario Salium concurſu ortos, ex *Tacheny Hippocr. Chym. cap. 16. p. m. 115. & c. 7. p. 32.* allego productos. Deniq; ad experimenta, tàm medica, qvàm mechanica provoco, qvibus ſimul Magnorum Virorum autoritas pondus addet. Et ut ab ipsâ Antiqvitate fidem mutuem; *Hippocr. Lib. II. de Morb. Fæcem vini combuſtam cum glandis cortice* ad ulcera capitis commendat. *Cornelius Celſus cap. 8.* illum ipſum adurentis naturæ definivit, qvod *Dioſcorid. l. V. cap. 35.* cum *Galen. lib. 7. de Medic. facult.* confirmat. *Plinius libr. 23. Hiſt: Nat. c. 3.* Salem eſſentialem vini ad Lienis vitia, Oleæ cineres, ad fiſtulas: *Dioſcorides lib. 1. cap. 186.* ficulneum ad Cœliacam ac dyſentericam paſſionem, nec non contra Gypſi potum prodeſſe aſſeverat. Ut de theriacalibus, Antiqvis familiaribus, nihil di-

cam.

cam. Succedunt Neoterici, *Paracelſus*, cujus ſingulares ex ⊖e 🜿ri, abſinthii, Gvajac. Aqvileg. viſciq; qverni multâ experientiâ notatos effectus, à laudatô ſupra *Borrichiô cit. loc.* allegatos vide. *Helmontius Tract. Aur. vital.* item humani cruoris ſpiritum, ſive Salem volatilem, eſſentiali proprietate ab urinæ ſpiritu diſtinctum expertus eſt; utpote qvi prior Epilepſiam etiam inveteratam, qvod alter non præſtitit, curavit. Id qvod infinities ab *Excellentiſſ. B. Hoffmanno Comment. in Schröd. lib. V. Sect.* 1. *p. m.* 669. *& ſeqv.* confirmatum legimus. Sic Spiritus Urinæ eqvinæ, ab Helmontio deſtillatus, Spiritui Vini mixtus, expectatum coagulum, qvale cum Urinâ humanâ ſucceſſit, producere non valuit *Lib. de Lithiaſ. c.* 3. §. 9. Unde non ſuperſtitioſum monitum Chymicorum de ſanis, vinum bibentium & puerorum Urinis præcipientium. De Spiritus ⊖is 🜿ri volatilis ſingulari efficaciâ conſulatur *Experientiſſ. Ludovici in Tract. de Sal.* 🜿*r. volat.* de qvo circa finem plura. Antiſcorbuticorum ⊖ium ſpecificam vim vel vulgus novit. Et qvis viperini ⊖is præſtantiam in malignis neſcit? Ex Leonis carbone ſive ſtercore paratum in Puerorum Epilepſia tantum non infallibilem deprehendi, vel per ſe, vel cum Succineô Sale mixtum. Mandibularum lucii piſcis Sal volatile hodiè in pleuritide commendant. His omnibus mechanicam fidem adjicio. Sic Saponarii & Cerdones, non qvodvis, ſed fortisſimum cum calce paratum Lixivium eligunt. Sic tinctores non unum ad diverſos colores, ſed diſtinctos expetunt Sales: Vitrarii item. Hinc *Antonius Neri cap* 5. Frittam cum ⊖e 🜿ri factam ad Solis colorem induendum ineptam, ex Tuſcici filicis verò Alcali natam, opportunam negotio eſſe fatetur. *Vid. & Jlluſtr. Boyl. Experim. de Color. diverſis* in locis. Cæterùm qvæ ex hujus ipſius Autoris *Chymiſtâ Scept. p. m* 227. it. ex *Helmont. Tract. de poteſtat. Medicament.* §. 31. Objici poſſent, in conflictu diluentur. Ad ultimum irrefutabilia reſuſcitationis plantarum argumenta à Nobilisſimo *Tackio Tract. de Reſurrect.* & laudato *Borrichiô l. c.* allegata, ut & illud, à *Domino Febure Gallô*, cum ⊖e fœniculi, ex fimo copioſam herbam producentis, teſtimonium addi poſſunt. Specifici itaq; ac appropriati Saliam ſapores du-

durant

rant conſtanter ; nec ſua in operationibus talenta ſepeliunt. Qvæ omnia latius ex mente Hippocr. ab *Helmantiô* explicata lege *Tract. de Medicam. Poteſt.* §. 12 & 13.

§. IX.

Figuras particularum rimatur.

AST ſpecialisſimam noſtri Salis vel volatilis, vel coagulati figuram, qvalem tetrahedricam Sali Urinæ *Hornius Arc. Moſ. p. m. 64.* CC. parallelipedem ; Sangvinis humani rhomboidem *Hoffmannus lib. 5. in Schröder Sect. 1. p. m. 670. ex Rob. Boyl. Chym. Scept. p. m. 126.* deſcripſerunt, ego definire non auſim , maximè ob fallax oculorum judicium, arte etiam armatorum. Deindè ob particularum inſenſilium, de qvibus maximè qværitur , exilitatem. Cum enim, ut rectè *Marcus Marci* loqvitur, nobis cognitione intuitivâ uti non liceat , Carteſianarum verò particularum, irrefutabilium licet, figuræ nondum mathematicâ certitudine ſint demonſtratæ, tutius eſſe credidi in ancipiti re concluſum ſuſpendere, qvàm incerti aliqvid admittere ; maximè cum non intemperati animi ſit, qvædam æqvô animô ignorare velle, & nimis curioſa ſæpè ſubtilitas evaneſcat in fumum.

§. X.

Volatilitatis varia genera affert.

SUpereſt ut volatilitatis naturam, differentias & modum vola-

tili ſandi brevibus perluſtremus. Volatile multis rebus ſubtilibus, vel facilè mobilibus, ut Alcohol farinæ, muſco terreſtri, floribusq; arte Chymicâ elevatis, & ipſi adeò ☿io adſcribitur; qvas ſignificationes, ut alienas, dimittimus. Nos enim non de qvôvis aliô, ſed Sale potisſimum volatili, ſumus ſoliciti. Aſt verò in his multiplex differentia occurrit. Aliud enim ⊖ volatile eſt ſenſibile, ſive patens: Aliud inſenſibile, ſive latens. Senſibile eſt vel halituoſum, qvod ſponte cum 🜁is portione abit in auras, ſubjectiq; virtutem naribus imprimit, ut in, Jaſmino, Meliſſa, florib. Aurant. videre eſt: Aliud eſt vaporoſum, ut fuliginis, aqvarum deſtillatarum aromaticarum: Aliud ſpirituoſum, ut Armoraciæ, cochleariæ, naſturtii: Aliud Oleoſum, qvod ex oleis fœtidis, cum Spiritu vini rectificatis, procedit, ſive, qvod aromaticorum oleorum acceſſu conficitur: Aliud ſiccum, ut CC. cranii humani, Viperarum, ♀ri. Inſenſibile ſ. latens, nec niſi à poſteriori, effectu ſcilicet, demonſtrabile, aliud iterum eſt in Spermate ranarum, ſedo, Farfara, Portulaca, Lactacâ, vid. *Tachen. Hippocr. Chym. c. 19. m. 147. & ſeqv.* Aliud in oſſibus, carne, capillis △e producendum: Aliud per fermentationem eruendum, qvalia Wedeliana & noſtrum ♀eum: Aliud additione tertii reſuſcitandum, ut ⊖✱, aliorumq; fixatorum. Deniq; alia volatilitas eſt Acidorum, ut aceti, ⊖is ſuccini, [illegible] us ⦶li volatilis: Alia urinoſorum ut viperarum, CC. ♀ri &c. Alia Enixorum, ut liqvor. CC. Succinat. Spiritus ⦶li & ♀ri volatilium &c. Noſtrum Sal ad Urinoſa ſpectat; qvanqvàm dolendum ſit, qvod non genuinum huic Sali vocabulum ſuppetat, *interim tamen penetranti fugacitate urinosâ ac antacidâ virtute ſpecificâ exiſtit notabile.*

§. XI.

Specificæ Volatilitatis Rationes percurrit.

QVod ipſam volatiliſandi theoriam ſpectat, multi accuratisſimi

mi Philoſophorum hujus rationem exponere laborârunt, impari licet ſucceſſu. Sed verò cùm multa differentia ſit inter peritiam faciendi experimenta, & inter ſcientiam de factis philoſophandi, ut *Illuſtr. Boyl. Chym. Scept. p 187.* monet; Operæ pretium erit in tàm difficile negotium paulò inqvirere accuratiùs. *Franciſc. Bac. de Verulam.* Incomparabilis Philoſophus, *Tract. de Princip. & Origin. p. m. 678* Heracliti favere videtur ſententiæ, (qvæ cum *Geberi* rarefactione, *cap. 8. lib. 2.* propoſitâ, ferè coincidit;) attenuationem ignis proponentis, qvam *Cap. de Vit. & Mort. p. m. 498.* attenuationis primò, mox volatilitatis vocabulô interpretatur. *Williſius de Ferm. c. 10.* △em qvoqve omnem Salibus inducere ſtatus diverſitatem opinatur. Sed à mobilitatis aut ſubtilitatis natura ad volatilitatem concludere velle non licet. Ignis qvoqve, ut inſtrumentum, cum ipsâ formâ rei confunderetur. Protrudit qvidem ignis & elevat, ſed non efficit ⊖ia volatilia. Deniqve non omnia Salia volatilia ignis ope expediuntur, cùm qvædam ſponte abeant, qvædam etiam aliorum acceſſu, de qvibus *theſ. anteced.* dictum, ferantur in ſublime. *Helmontius Tract. Blas. Human. ut & Boyl. Chym. Sc.* ad Leucippi & Democriti opinionem inclinant, particularum ſubtilium diverſam figuram ac magnitudinem, ſitum, motumq; admittentium. Qvæ Sententia in tantum qvidem vera, ſed omne volatilium Salium arcanum non explicat, qvia hôc pactô fieret fortuitus eductarum particularum concurſus, idemq; Armoraciæ ac Urinæ ⊖ procederet. Alii per doctrinam gravitatis & levitatis rem expedire conantur; Sed & hoc fundamentum lubricum eſt, nec ſatis grave. Subtilia enim & mobilia cum volatilibus iterùm confundit, ſuppreſsâ omni virtute ſpecificâ. Sic ponderoſiſſimus ☿ius ad odorem △is auram appetit, qvi ſuâ mole debebat detineri preſſus. Reuſingii hypotheſis, Spiritus duos, omnium actionum naturalium autores, alterum igneum rarefacientem, frigidum alterum, aëreum & condenſantem proponens, frigeſcit ac evaneſcit, vid. *Celeberr. Dn. D. Senn. Tract. de Conſ. & Diſſ. c. 12. in fin. Nobiliſſ. Barnerus contra Beccium pag. 18.* ex Helmontio, beneficiô aëris, concreti ♀r ſolven-

ventis, libera fieri ⊖ia volatilia arbitratur. Cui *Curioſi Helwigii* experimenta, *Epiſt. ex Indiis miſsâ*, nuper propoſita aſſentiuntur. Qvæ ratio generali explicationi ſufficit. Magis veritati conforme videtur, ſi volatilitatis rationem à ſubtilium particularum vi elaſticâ: Specificam proprietatem, à ſeminali virtute, ab Archeo explicandâ derivemus. Sive enim Formæ, ſive Naturæ obſcuris vocabulis, ſive potius dictô nomine interpretari malis, per nos licet. Tutiùs autem longè eſſe cum *Boyliô* cenſemus *Chym. Scept. pag. 143.* aliqvem artis terminum mutare, qvàm ipſam veritatem, eò, qvod cum illô non qvadret, repudiare. Cæterùm qvi de Archei natura informari cupit, adeat *Celeberr. Philoſophum Marc. Marci in Philoſ. Veter. reſtit. Sect. 2. p. m. 418.* Scilicet Archei (qvem Idearum ſyſtema eſſe ex allegatô librô colligitur,) illud eſt officium, ut certô modô figuratas particulas ſecundum ductum ſphærarum, à DEO cuivis ſemini inſcriptarum, dirigat. Qvi veritatem magis nudam intueri cupit, imploret cum Euripide Naturæ Genium, ut qvæ ſit res, velit ipſe exponere.

§. XII.

Diverſos Salem Tartari volatilem conficiendi modos proponit.

SAlem 🜿ri volatilem ex mente Paracelſi & Qvercetani *à Nobiliſſimo Wedelio lib. cit. p. 72.* Mercurium, ab aliis ⊖em cœleſtem vocatum, variæ parandi rationes extant. *Ludovic. de Comitib. Diſcept. 6.* prudentem jubet alcalia terreſtribus orbare particulis, ſed artificium ex ipſo Compendiô obſcurum. *Helmontius Tract. Blas. Human. § 45.* Aërem (arcanum, inqviens, capiat,

qvi

qvi poteſt,)☿r & 🜔em concreti ſolvere, huncq; fixum totum cum totius craſi volatilem reddi docet. Qvod ſilentium, qvamvis odio novercali ſimillimum ſtomachabundus *Zwelfferus* notet, rem tamen acu tetigiſſe, ac modum, freqventi 🜔is alcalini in deliqvium ſolutione & deſtillatione, arcanum nobis perſvaſiſſe videtur *Pharmac. Reg. p. 247.* Noviſsimè *Curioſus Vir Joh. Otto Helwig Introduct. in Phyſic. inaudit.* tres modos, primum per ſolutionem & efflorefcentiam, ſecundum per 🜊tum & Spiritum Vini, tertium cum ☿re ptoponit. Sed pace Optimorum Virorum dixerim, hanc ſalium potius depurationem, alterationem ac ſubtiliſationem, qvàm volatilitatem vocandam. Qvò etiam ſpectat freqvens Sp. Vini ſuper 🜔 fixum cohobatio, ad modum 🜔is circulati Paracelſi, de qvo vid. *Becherus loc. cit.* ut & ipſa terra fol. 🜿ri impropriè *à Nobiliſsimo Hoffmann. Comment. in Shröd. p. 608.* volatilis vocata. *Excellentiſſ. Dni Langelotti* modus, peculiarî ſcriptô ante annos aliqvot commendatus. laborioſior, nec largiori copiâ operæ pretium compenſat. Qvanqvàm illum fruſtrà tunc temporis tentaverim aliqvoties, proceſſu licet ad literam inſtitutô; qvod ipſum etiam *Doctiſſ. Dn. Petro Specht.* jam ante viginti annos contigiſſe reperio *Obſ. 24. Miſcell. Curioſ. Ann. VI. & VII.* Rara eſt laudati Autoris obſervatio, Spiritum 🜿ri volatilem, ex 🜿rô calcinatô, in aqva aut Sp. Vini extinctô, ac per Alembicum eductô, illi ex fæcibus deſtillato perſimilem exhibens. Rarior adhuc *Incomparabilis Chymici Dni Ludovici*, ex 🜿ro in furnô figulinô calcinatô (licet ipsâ Autoris confesſione non ſemper ſuccedat,) ſponte productus, *Vid. Miſcell. cit. Obſ. 243.* Qvi cum Calce, ſilicibus, Saccharô, One conficitur, vix genuinum ſapit. Ex terra fol. 🜿ri & 🜿rô 🜿ſatô operoſior. Cum oleô fœtidô, vel per digeſtionem, vel triturationem eſt genuinus; minus ille, qvi ex Spiritus acidi Oleive fœtidi 9ffuſione & per Alcali reſuſcitatione, deſideratur; Cum Succinô tamen ſuccedit. Optimus eſt, qvi ex vini fæcibus, aut ipsô 🜿ro per ſe fermentatô, citra proprii Alcali acceſſum eruitur, qvippe non vana eſt *Domini van der Beck* objectio: Dubiam ſcilicet eſſe volatilitatem, Alcali concurſu profectam, & ipſi 🜿ro magis, qvàm 🜔i advenæ deberi.

C §. XIII.

§. XIII.

Novum ⊖♀ri volatiliſandi artificium commendat.

His non gladiatoriis ambagibus præmiſſis, novum ♀rum per ſe fermentandi modum, dum allegatos omnes in ſuô pretiô relinqvo, ex pono. ℞. Ergò ♀r. alb. pur. vel qvod melius, cryſtalliſati q. v. reduc in pulverem, impone vaſi qverno, affunde ▽æ pluvialis, ror. majal. ſucc. betul. aut, ſi mavis, vini tenuioris q. ſ. ad ſolutionem & fermentationem, ut ⊖ia centralia ſoluta liberè ſe explicare qveant; ex pone tempeſtate æſtivâ aëri; (ſub tecto tamen, ne radii ☉res debitô citius maſſam exſiccent) hyeme prope fornacem, ut fermenteſcat. Qvô factô qvinq; vel ſex ſeptimanarum ſpatiô univerſus ♀rus aperietur. Hanc exemptam maſſam, qvæ nigricante ſpecie poroſior apparebit, inſtar placentæ, odore non admodum gratô, in ſuperficie tabulæ extende, ut exſiccetur. Frange dein in fruſtula collo retortæ apta, qvam loricatam ad manus habere convenit, impletamq; ad dimidium & amplius, igni aperto, obſervatis gradibus, admove, pergendo, donec ⊖ volatile copioſum cum Oleo, circa finem auctô igne, prodeat, qvæ lege artis à Capite mortuo, repetitâ deſtillatione purgare ſcies. An hic Helmontianus ♀rus putrefactus, metallicorum ☿iorum arbiter ſit, *Becherus p. 772. l. c.* tueatur.

§. XIV.

Coagulationis naturam ac Differentias proſeqvitur.

AD hunc Salem pretioſum, maximè volatilem ac citò periturum

rum cuſtodiendum, cùm multi modi excogitati ſint, vix tamen inventus eſt, qvi noſtrô eſſet convenientior. Coagulum autem hic non nudè fluido opponimus, nec fixitatis terminô explicamus; medium potius ſtatum inſinuantes. Qvemadmodum enim non omne ſubtile eſt volatile, ita non qvodvis coagulum eſt fixum. Malui autem Coaguli, qvàm Fixitatis nomen eligere, cùm ad volatilitatem, tàm mobilitate, qvàm virtute, accedat propius. Neq; *Nobiliſſ. Dni Barneri* more, *Enixum Ammoniacale* vocare libuit *Diſſert. Epiſtol. ad Dn. Langelott. p. 19.* Cum Enixa ipſi ex ⊖e volatili urinoſo & Acido fixo (qvale noſtrum non eſt,) conſtent; deindè etiam non, niſi accedente Alcali tertiô, reſuſcitari qveant. Modos ipſos coagulandi generales *Helmontius* qvindecim *Tract. de Lithiaſ. cap. 3. §. 6.* ut & *Doctiſſ. Elsholzius in Deſtillat. Curioſ. p. 69.* qvamplurimos allegat, *& pag. 66. Spiſſi* vocabulô definit. *Becherus* ad tria ſumma Capita refert *p. 763. Suppl. 2.* *Conſiſtentiam, Coagulationem, & Fixitatem,* rationemq; ſubjungit, naturalem ſcilicet aliqvam inclinationem ad continuitatem. (Sic autem *pag. 801. vocat*, uti volatiliſationem disjunctionem inſcribit.) Nos coagulum blandum noſtram vocamus combinationem Salis volatilis cum ⊖e acido mediô, homogeneô, factam mutuô coëuntium particularum amplexu. Modi ipſi hactenus cogniti ferè ſunt ſeqventes. Primus eſt *Helmontii Tract. de Lith. cap. 3. §. 43.* per Spiritum volatilem acidum, v. gr. ⊕li volatilem, (qvali ego utor,) virtute penetrandi cum qvôvis Ammoniacali certantem. Unde illud *van der Beck ad Dnum Langelottum. miſſum Sal* adeò Paradoxon, ut ipſe putat, videri non poteſt. Secundus modus eſt impropriè ſic dictus, per Spiritus vini abſtractionem. Tertius eſt per Spirituum acidorum, v. gr. ⊖is, acceſſum, qvi violentus nimis videtur. Qvartus eſt ferè mixtus *Zwelfferi Apologiâ contr. Tacken. p. 73.* propoſitus cum ┼to & Terra fol. ♀ri peragendus.

§. XV.

§. XV.

Novum coagulandi modum inſinuat-

PErgimus ad noſtram Coagulationem ſeqventi ratione inſtituendam. ℞. Ergo Cryſtall. ♀r. in pulv. redactor. Solve in ſ. q. ▽æ calidæ, filtra per chartam, evapora ad cuticulam, & inde in Cucurbitam; tunc affunde Sp. ♀ri volatil. Sale propriô inebriati ac rectificati, imò ⊖is ipſius volatilis ſicci, ſi hâc formâ ſervaveris, tantum, qvantum ad pondus naturæ ſufficit, uſq; dum deſinat ſtrepitus. Vel vice verſâ, Spiritui ♀ri volatili, cucurbitæ immiſſo, affunde liqvoris ♀ri dicti q. ſ. pro ſaturatione. Tunc appoſitô Alembicô phlegma evoca ad cuticulam. Reſiduum ad cryſtalliſationem expone, vel, ſi mavis, abſtrahe ad ſiccitatem in balneo, impetrabis poſteriori modô Salem, priori, Cryſtallos egregios Succedit etiam negotium citiùs, ſi puriſſimi ♀ri cryſtalli in Spiritu ♀ri volatili ſolvantur, per aliqvod tempus ſtent in vaſe clauſô, & liqvor filtratus evaporetur ut ſupra. Cryſtallis ablatis ac exſiccatis blandè reliqvus liqvor, ut prior, evaporetur, uſq; dum omne evacuatum Sal contentum ſit. Liqvorem abtractum nonnullâ volatilis ⊖is portione auctum, in vaſe clauſô ſerva pro ſolvendô ♀rô aliâ vice. Et ſic peractum eſt negotium. Objicis, hunc eſſe Tartarum regeneratum: Fateor, ſed clarificatô corpore reſurgentem. Exutis enim terreſtrium qviſqviliarum impedimentis, Sale volatili proprio nobilitatus, in tertium cum naturâ humanâ mirè ſymbolizans medicamentum, ad abſtruſiſſimos qvosq; receſſus ſibi ingreſſum parans, mutatum eſt; prætereà non odore aut ſapore grave, vel ipſis abſtemiis gratum, inq; omni, Magiſterii butyracei inſtar, liqvore ſolubile. Deniq; volatilem Spiritum ſponte, ſine Alcali acceſſu, ad odorem ignis reddens, qvanqvàm per Alcali citius reſolvatur.

§. XVI.

§. XVI.

Virtutes compendio tradit.

NOtius eſt, qvàm ut hic prolixè moneam, qvid præſtiterint hactenus ⊖ia Enixa, tàm fixa v. g. ♀rus ⊕latus, ⦶ratus Ooſus, ⦶rum ⊕latum, ♀rus ♀ſatus; qvò & magiſteria ſolubilia refero, jam *Salomoni, ut ex Prov. cap. 25. v. 19.* colligere licet, & *Cleopatræ*, margaritas aceto ſolventi, nota: qvàm media, ut ⊖ ✳, terra fol. ♀ri, ⦶ri, Mixtura ſimpl. vera, ſive ex Spiritibus volatilibus juncta; qvâ de re inſtar omnium conſulatur *Celeberr. B. Sennertus Prax. lib. 3. cap. 4.* Qvantò major utilitas de noſtro Summi vegetabilis coagulô erit expectanda? Hic certè in centro reperies, ac in compendio qvicqvid alibi ſparſum ac ſingulatim colligendum. Sane *Doctiſſ. Hoffmanni* Elogia terræ fol. ♀ri cum CC. Spiritu junctæ deſtinata *lib. 4. Sect. 2. p. 608. Comment. in Schröd.* noſtro coagulo ſunt longè convenientiora; qvod ſcilicet ſit medicamentum egregium Hypochondriacum, par non habens in Arthritide, Calculo, Scorbuto. Nec vanus ero, ſi virtutes, *coagulo Becciano pag. 29. Epiſt. ad Langelott.* tributas, jure meas faciam, easq; Cryſtallis in Cachexia, meſenterii affectibus, menſtrui obſtructionibus, febribus intermittentibus &c. admetiar. In puerorum ſanè febribus, malôq; Scorbuticô toties felicitatem ipſius ſum expertus, ut ſciam nulli ſecundum eſſe, & de meliori ferè deſperem. Debet autem horum uſus, non neglectis univerſalibus, juſtâ doſi, qvanqvàm eâ non facilè hic peccetur, continuari. Pueris à ℈ß. ad ℈j. adultis à ʒß. ad ʒj. in vehiculo qvôvis aptô propinari poteſt. Qvod verò liberalior ſim hic in pondere, ſtudiô fit; Qvemadmodum enim fermentum ſanum unicô bolô vix ſaturatur, ita nec exotica paucis granis auſcultant. Peccatur hâc timiditate non minus in praxi, qvàm incircumſcriptâ temeritate Empiricorum. Si enim cum prudentiâ Cinnabarinorum, ♄alium, ☿alium, volatilium, præcipitantium ſive acidum extingventium, opiatorum item ritè paratorum doſî paulò eſſemus liberaliores, & tempeſtivè morbis opponeremus, multò fortè ſucceſſus forent feliciores.

§. XVII.

Coagulatorem aliis uſibus deſtinat.

Illud adſpergere libet, hunc noſtrum Coagulatorem, idem in reliqvis volatilibus, ammoniacali, CC. &c. Spiritibus præſtare. Confecimus coagulatum viperinum ⊖em, cujus portio ad Tachenium ante aliqvot menſes fuit miſſa, ſed occupaverant jam ipſum fata. Idem ſuccedit in coagulatione Spiritus volatilis ex fæcibus Cereviſiæ, qvem copioſum & penetrantem ſatis, ☿ri more, nuper paravimus, perinde ac cum ⊖e Onis Urinoſo volatili per adjectam calcem evocatô. Cæterùm coagulatoris vices Sal betulæ eſſentiale ex lacrymis paratum ſuſtinet, nec improbabile eſt, alia Salia Eſſentialia, aciditate notabilia idem effectura.

§. XIIX.

Argumentum concludit.

Sed tutius eſt deſinere, qvàm deficere. Qvod ſi qvid rectiùs dictum, Nobis gratulamur, eoq; allaborabimus, ut Juventuti porrò qveamus prodeſſe. Neq; enim doctioribus ſcripſimus, qvanqvàm Summis Viris, jam ante aliqvot annos non diſplicuiſſe argumentum ſatis conſtet. Sin verò admiſimus corrigenda, aut dicenda prætermiſimus, aut erravimus explicandô, communi ſorte excuſabimur; etenim

Soli non errant Superi, mortalia nunqvàm
Cenſurâ decreta carent.

Deo Immortali ſit Laus & Gloria!

CLARISSIMO & DOCTISSIMO
Medicinæ Candidato
DN. JOH. GEORGIO Rebentroſt/
Drebacenſi ex Hermunduris,
Amico dudum cognito ac honorando,
S. P.
GEORGIUS CASP. KIRCHMAJERUS,
P. P.

SExtus intra ſpatium trimeſtre Annus volvitur, cùm à Parente tuô venerabili, incano Sene, meritisſimoq; Myſtâ Drebacenſi in montanis tractibus, commendareris mihi. Noveramq; ante, cùm tranſirem illâc, redux ex Bojohæmiæ acidulis & thermis Carolinis, qvàm præclarè teſtimoniis ornatus eſſes à Patronis Præceptoribusq; tuis Fribergenſibus. Ex eo tempore in id incubui, ut ſeqverer, (ſi non conſeqverer,) has vias, per qvas ducerere ad ſolidioris eruditionis & honoris aliqvando metam. Teſtibus haud opus; cùm ſat amplum alter alteri theatrum ſimus. Partibus tu tuis functus es egregiè, diſcendo & vivendo ad rectisſimum exemplum. Provoco ad Univerſitatem; provoco ad ſingulos; imprimis, qvi te nôrunt, PATRES ACADEMICOS. Si illi omnes etiam (qvod infortuniorum tamen genus deprecor,) abeſſent, plurimorum teſtium ſubire vicem unus poſſet *VIR ingenio eloqvioqve præſtans, & è reconditis Chymiæ (qvam hîc loci profitetur extra ordinem,) vulgaria haud eruturus,* DN. JOHANN THILE,

Præſes

Præſes pariter Doctorq; tuus. Argumentum, qvod de *Spiritu tartari volatili coagulato* ſuſcepiſti defendendum, plura arguet, qvàm ego nunc deſigno. Age, ſurge in ſublime REBENTROSTI! imitare tui nominis inſignem ſpiritum volatilem! coagula in denſitatem ſpes Parentis & ſpes noſtras! Sic te DEus ſervet! qvod precatus ſemper precor anxiè! Vale!

Ad Clariſſimum & Doctiſſimum DN. RESPONDENTEM Amicum Æſtimatisſimum PRÆSES.

DUm paucis prolixam gratulationem paro, arcanum nominis & argumenti *SYMBOLUM*, bonô omine, ſe offert: qvod ſummum Numen expleat; ut hæ *VITES* tibi ſint, tu multis futurus *SOLATIO* langventibus! Certè ſapis, qvod Salibus delecteris; fortè erunt ad palatum ſanis. Πικρόχολοι helleborum bibant, vel, ſi malint, ſtibium. Tu interim, CLARISSIME JUVENIS, perge egregias animi dotes, morum ſvavitate tantò magis commendabiles, ulteriùs explicare; qvâq; uſus hactenus es methodô, experimentis rationes applicare ſuſtine. Nullam enim veritatis opinionem, etiamſi effectu confirmatus fueris, ſine cauſæ cognitione firmiter haberi poſſe, Acutisſimus Cardanus Epiſt. ad Ferrand. Gonzag. concludit. Vale!